

dam foederationem quamdam precum quae vocatur *Apostolatus Orationis*, memores pro onere minime haberi posse suarum intentionum unionem cum intentionibus SS. Cordis Jesu pactam. Hos sodales exhortetur parochus ad hunc amantissimum Salvatorem constanter deprecandum, ut illuminet caecitatem mentis claritate praesentiae suae, accendat frigiditatem eorum igne amoris sui, vertat ipsis omnia terrena in amaritudinem, omnia gravia et contraria in patientiam, omnia infima et creata in contemptum et oblivionem.

(*De Imit. Chr. lib. IV c. XVI.*)

Dignum et justissimum est etiam ut Cor Jesu speciali cultu honoretur. In omnibus etenim saeculis, illud amoris objectum, adorationis et confidentiae terminum, intenderunt discipuli Christi. Centrum et symbolum tenerae dilectionis est, quae misericorditer et generosius tam magna fecit nobis. *Vix enim pro justo quis moritur : commendat autem charitatem suam Deus in nobis ; quoniam, cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* (*Rom. V, 7.*)

In illo divino Corde conceptum est consilium nostrae salutis; hoc novi fœderis tabernaculum terram cœlo reconciliavit: super istud holocausti et aromatum altare aeternus Pontifex suae mortis sacrificium in odorem suavitatis obtulit et continuo offert, ardetque ignis charitatis quæ nunquam excidet; in hac tabula aurea Jesus cœlestem cibum sui corporis animas nostras alitrum praeparavit; in illo fonte divino nobis datur haurire salutis aquas in gaudio (*Isai XII, 3*): (*Appendice au Rituels*). Et ne debiles deficiant in via, nec cuivis desint aquae in vitam aeternam salientes, sua-